

445

443

449

439

454

434

494

394

544

344

Ende

Anfang

434

Diaetae et capitula.

Duodecimo famosam reddunt hanc urbem diaetae saecularium principum et capitula religiosorum, quae ibi frequentius celebantur. Nam cum principes concordare nemo potest, causa ad Venetias devoluta pacatur. Sed et religiosi sua capitula generalia ibi expediunt frequentius quam alibi, tamquam in loco aptiori. Nam, ut de aliis taceam ordinibus, ordo noster VII generalia capitula ibi celebravit, in quibus multa salubria fuerunt ordinata pro conservatione ordinis. Primum fuit anno Domini 1297, secundum anno 1325, tertium anno 1357, quartum anno 1394, quintum anno Domini 1437, sextum anno Domini 1486, in quo fuit electus magister Barnabas in magistrum ordinis, et frater Ulricus Zehender de Wienna fuit diffinitor, et frater Felix Fabri socius et elector. Generalis ordinis vicarius erat reverendus magister Jacobus de Stubach, provincialis de Theutonia, qui tenuit capitulum illud usque ad magistri electionem. Anno Domini 1487 iterum fuit Venetiis ad S. Johannem et Paulum capitulum generale positum, quia magister Barnabas, generalis electus, statim post obiit; et fuit generalis vicarius ordinis magister Joachimus Venetus. De provincia nostra fuit diffinitor frater Felix Fabri, socius et elector frater Bernhardus de Eslingen. Interfui alias capitulis aliis, sed numquam tantam solennitatem vel gloriam vidi, quantam in his duobus capitulis; erat enim festum per totam urbem, quasi S. Marci, et decoratae erant pategæ, ut in nundinarum celebritate fieri solet, et tantus populorum concursus ad Praedicatores, ac si apostolorum fuisset congregatio, et divinis officiis, in sermonibus, in disputationibus, tanta multitudo semper adfuit, ut ecclesia, quae tamen amplissima est, foret compressa. Denique tempore electionis magistri ordinis, existentibus in conclavi generali vicario ordinis, provincialibus, diffinitoribus, electoribus, tanta multitudo per totum conventum erat populi, non vulgarium, sed nobilium et honorabilium, quos vulgus zentilios vocat, latine gentiles homines, ut stupor esset videre, qui omnes exspectabant patrum inclusorum egressum, ut viderent diversarum nationum mundi fratres et eum, quem in generalem elegissent de tanta multiitudine.

Porro in die capituli, quando solennitas erat capituli, tantus

